

norum extitit. Ea præsertim tempestate , qua Carolus octau-
vus Galliæ Rex anno M. CCCC. LXXXIII. alpes transgres-
sus , armatus in Italiam descendit , omnia divina humanaque
jura permixta ; donec anno M. D. XXI. in Wormaciæ civita-
te induciis pactis , respirari cœptum , quibus inter cetera ca-
vebatur , ut quæ tunc extra Carnos loca Principes obtine-
rent , ab eorum locorum possessione non amoverentur ; quo
sane tempore Ceneta Veneti potiebantur ; idque planius pace
anno M. D. XXIII. Venetiis inter Carolum V. & Ferdinan-
dum fratres ac Venetos cautum , iis quæ Wormaciensibus in-
duciis exprimebantur , confirmatis . Quæ omnia postremo ,
anno M. D. XXVIII. Bononiae inter Carolum ac Rempubli-
cam inita concordia , cui Clemens septimus Pontifex inter-
fuit , plenius continentur ; cum quidquid tunc Veneti possi-
debant , pacis legibus confirmaretur ; nec dubium , quin Tar-
visium , Ceneta , aliaque ejus regionis loca iis tunc paruerint .
Inde continuatis temporibus Episcopi ac populi Venetos , uti
Principes , agnovere ; ad eos configentes , auxilium atque
opem experti sunt . Antistitum obitu custodita a Venetis arx :
vel bello vel belli suspicione oborta , in agro milites castra-
metati , incolæ pendere vectigal jussi ; pace , ad Medoacum
amnem excavandum (infinitum prope opus) evocati , sal ex-
hibitus , exortæ inter incolas atque Episcopos controversiæ ,
vel datis judicibus , vel ab eodemmet Senatu definitæ ; in
possessionem publicis literis Antistites missi . Inde auctæ sub
salubri Reipublicæ imperio populorum divitiæ , Antistitum
auctoritas , religionis cultus . Nec ante Paulum III. Summum
Pontificem , qui hisce de rebus verbum faceret , quisquam
fuit . Anno M. D. XXXXV. cum populi Marini Grimani , Epi-
scopi & Cardinalis , imperium ferre non possent , Principis
Patrumque afflictis rebus opem implorassent , majoribus Co-
mitiis (uti antea suo loco diximus) Jacobus Surianus prætor
Cenetensis est creatus . Id cum æquo animo ferre Cardinalis
nequiret , ad Pontificem confugit , qui acriter cum Senatu
conquestus , tandem , Grimano qui novitatum causa extiterat
vita functo , obtinuit , ut , abdicato prætore , in pristinum
cuncta statum redirent . Grimano haud multo post Michael
Turrius successit ; exinde ansam sequentes Pontifices arripue-
re;